



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698


Capitulum XI. Significatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Clerici sacris mysterijs obsequentes, habent id, quod est Canonico Regularium, cum maiore austeritate.

Addidi autem in norando: dummodo in monasterio &c. quia non sufficit, ut Ordinis institutum, & regula arctior sit, sed requiritur praesens observatio; etenim ut transitus ad aliam religionem concessus sit, fieri debet non ex levitate, sed maioris boni zelo, is autem zelus & bona conscientia praecedens tunc apparet, si regularis observatio in monasterio, ad quod aliquis transiit, strictior sit; alioquin verò praestat, imò ex vi professionis quisque obligatur, ut in prima vocatione persistat, cum mutationes & transitus inconstantiae indicium praebent, & raro in melius proficere sinant, quae de re *S. Thomas cit. a. 8. in corpore*; & pulchre *Andreas hic n. 1.* ubi advertit, licet Ordo Prædicatorum profiteatur regulam *S. Augusti*, tamen propter adjectas constitutiones, & ejus temporis observantiam, videri strictiorem, quam Ordinem monachorum, & ideo transitum Prædicatoribus concessum non esse.

Vice versa à regula tradita, quòd ab Ordine monachorum non sit transitus concessus ad Canonicos regulares, excipe, si accadat, ut in Ordine monachorum, seu ubi arctior regula est, eà non observatà, remissiùs, & laxius vivatur, quam apud Canonicos regulares, qui habent laxiorem regulam, tunc transire licet ad religionem minorem, ut à *Ioann. And. v. 3.* melius observatur. Opus tamen est in hoc casu, ut saltem in eadem Provincia, aut patria monasterium ejusdem Ordinis non reperiatur, in quo regula servatur, sicuti notat *hic Abbas n. 7.* faciliùs enim permittitur transitus de monasterio ad monasterium ejusdem Ordinis, quam Ordinis diversù. Vide etiam Sanchez *lib. 6. mor. c. 7. q. 3. c. 11.*



CAPITULUM XI.

Significatur.

PARAPHRASIS.

Relatum est Alexandro III. quòd ante aetatem 14. aetatis timore Ludimaginatum habitum in monasterio acceperit, hoc intellecto mandat Papa, si ita res fuerit, & ante expletum 14. annum non recesserit, ut à voto professionis, quod dicitur edidisse, absolutus pronuntietur: sin autem à parentibus oblatus sit, vel 14. annum aetatis implevit, cum in Religionem intravit, habitumque accepit, vel si professionem à se prius habitam post 14. aetatis annum ratam habuit, ad eandem, vel aliam Religionem tunc compellatur.

SUMMARIUM.

Impubes à parentibus oblatus monasterio recedere non potest ante pubertatem.

Notandum primò. Si impubes à parentibus monasterio oblatus sit, recedere non potest ante pubertatem. Ita *hic & in cap. 6. sequente hoc tit.* Secus est, si impubes absque patris, aut tutoris oblatione in monasterium ingressus fuit, sicuti *Gl. hic do. de. a. parentibus.*

Notandum secundò. Votum solemniter legitimum aetatem, post adeptam ratum, ratificari potest, sed opus est ratione expressa *cap. 1. hoc tit. in 6.*

CAPITULUM XII.

Cum virum.

PARAPHRASIS.

Puella impubes à parentibus monasterio oblata fuit, & licet quandoque contraxerit, tamen cum pubes facta est, habitum, & votum professionis accepit, tunc contradixisse evidenter constat, sed postea egressa militi se matrimonio conjunxit: quæritum est, num ad monasterium